...us
...

Wojewodzki Pauli Joan: Philtrum palladium auspicato himenaeo oblatum.

PHILTRVM PALLADIVM,

AVSPICATO HYMENÆO,

Illustrissimi ac Magnifici Domini,

D. FRANCISCI

IN LACHOWICE,

SAPIEHA,

PRÆFECTI STABVLI M. D. LITHVANIÆ,

Bracłauiensis, Olkinensis, &c. &c.

CAPITANEI.

Nec non

Illustrissimæ ac Excellentissimæ Sponsæ,

ANNÆ

COMITISSÆ IN WISNICZ ET IAROSŁAW,

LVBOMIRSCIÆ.

Illustrissimi & Excellentissimi Domini,

D. GEORGII SEBASTIANI

COMITIS IN WISNICZ ET IAROSŁAW,

LVBOMIRSKI,

SACRI IMPERII ROMANI PRINCIPIS,

SVPREMI REGNI MARESCHALCI DVCISQVE EXERCITVVM,

GENERALIS MINORIS POLONIÆ,

Cracouiensis, Chmielnicensis, Nizynensis, Olsztynensis, Periesłauien: Casimiriensis,

GVBERNATORIS

FILIÆ.

PER

M. PAVLVM IOANNEM WOIEWODZKI, *Philosophiæ in Alma Vniuersitate Cracouiensi Doctorem & Professorem,*

CVM VOTO AFFLVENTIS FORTVNÆ,

OBLATVM.

Anno Donatæ Hominibus Diuinæ, per Verbum Incarnatum Gratiæ. 1672.

CRACOVIÆ,

Apud ALBERTVM GORECKI, S. R. M. Typographum.

15. p.

METAMORPHOSIS.
DIVINO
PLATONI,

Si credimus,

Fides erit,

Rem Diuinam esse Connubium,

QVOD

Mortales immortalitate donat,
Deos faciendo,
Cum homines desinere, faciat.

IAM
Inter fabulas non fabula sit,
Nuptiali Vinculo Perseum & Andromedam,

AD
Astra æternùm lucentia,

DE
Tenebris perituræ ætatis,
Tractos.

Immò,
Coniugium Firmamentum vocitemus,

IN QVO
Tot splendent Lumina,
Quot sociales animi æternitati inseruntur.

ITAQVE
Matrimonium, Cælum, & quandam Diuinitatis portionem,
Firmiter concludamus.

PA-

PANEGYRICVS.

REnunciâſſe Palladem humanitati, nullus vnquam literatorum enunciauit. ILLVSTRISSIMI NEO-SPONSI. Non ita illa ambit colitue literas omnes, vt ſolam Ethicam à ſuo excludat conſortio: docet quippè alitq; pariter virtutem cum artibus ingenuis, vt generoſa pectora, tam excellenti bono imbuta, commodis alienis non modò proprijs, augendæq; fortunæ meliori ſeſe accommodent: quum naturam boni reſpuat, quidquid domeſticis deuotum latebris: in publicum non diffunditur: aut vocat in odium, quod cuipiam vtile, honeſtum, glorioſumq;, futurum eſt; immiſcetur proinde caſta Dea, tam alacriter exultantibus in Veſtra cauſa gaudijs, quàm ſincero cultu, fecundas votis, gratulationes conſignat præſenti Hymenæo, cui & felices primò tædas præfert in ſpem non dubiam ſecundi per myriades ſucceſſus, quem verbis ſolennibus, vultu læto, fauſtoq; omine precatur, ac deſtinat. Decet enim excelſas, & ad magna initiatas mentes, vt veneratio profunda, ita felicitatis communem ſtaturam excedentis, apprecatio non vulgaris. Vſque adeò nobilis hic Fetus, Supremi in Orbe Lechico Iouis, D. nimirum IAGELLONIS, VESTRAS Nuptiales faces obſeruando æſtimat, vt illiberalis etiam ad aras pronubæ Iunonis, abſq; donis iugalibus nolit comparere: quamuis abundè ſibi conſtiterit, VESTRAM Fortunam, eò affixam eſſe faſtigio, vt vicinæ opis indiga ſit minimè: immò diffuſa in alios, ad non mediocre poſteris exemplum, ſibi ad ingentem famam, ſuperatâ Theodoſij dexterâ, aureis haſtis, animos conuiuarum, inter menſas abſq; vulnere, configente. Cæterùm cum & vmbra ſplendido Apellis artificio, dat gratiam & habet, ad ſpeciem næui, qui venuſtam interdum formam adſueuit condecorare: nihil ſiquidem adeò in mortalibus compoſitum eſt, omnibusq; abſolutum numeris, quod modicam appendicem quandoque abnuat. Nec Iupiter cum Mercurio, cæleſtia licet Numina, Phrygiam peragrando incultam, Philemonis & Baucidis agreſtem munificentiam, non minùs rudi, quàm vili arte inſtructam, & adornatam dedignantur, vt potè piæ in Superos mentis, non plebeium argumentum. Conſultiſsimè vel ideò Pallas IAGELLONIA, auguſta fædera VESTRA, dono literario Regibus ipſis, ac Imperatoribus accepto ſemper tantò promptiùs dignatur, quantò certiùs manet in omne æuum, manſurumq; eſt, nemini ſuam pietatem in altiora faſtigia, vituperio, noxæ aut obtrectationi habitam; & Muſas quamuis ſæpe incomptas, Muſas eſſe non deſinere. Munus porrò, non aliud VOBIS dicatum it, ILLVSTRISSIMI NEO-

SPONSI, quàm VOS METIPSOS, & in VOBIS Maiores Vestros, quibus tantæ debentur laudes, quantam factis suis possedêre immortalitatem, supergressi virtutum suarum magnitudine, quidquid arduum & imperuium reliquis obiecit mortalitas, vel fatum. Immunes illi sunt communis necessitatis, vt imponant eandem ad narranda sua decora, magnis quibusque ac decoris ingenijs; paratis datisue in sæcula scriptoribus claris, quatenus immortales animæ, factis egregijs desponsatam æternitatem dicant, atq; promulgent; nemo tamen vel disertissimus omni sua desudante facundia, Illustrissima genera, SAPIEHANVM & LVBOMIRSCIVM, ex æquo dictis commendare, voce extollere, stylo circumscribere, eleganti cothurno æquare audebit, aut poterit: nemo vtriusq; gentis perpetuam memoriam temporalibus præconijs, affatim vt par est venerabitur: nemo illustria opera, effata prudentia plenè reuoluet: nemo sparsam per orbem famam, animorumq; formam, ita diuinæ propiorem, vti longè à vulgari, diuulgatam, ex toto complectetur. Quis enim ad geminatum hunc fulgorem, Solemq; duplicem, toti Sarmatiæ pariter venerandum ac beneficum, animo non consternetur, concidatue? nec malit potiùs gratulantium turbæ immixtus; stupore mentem suspensam tenere, obtutum auidiùs grandi spectaculo nutrire, tacitaq; gaudia peragere, quàm in ipso conatu deficere, ac ludibrium debere? Quis hic in tanta laudandorum amplitudine, Harpocrati non optet silens magis, quàm loquens, interpreti nuncioq; Deorum, facundo Mercurio litare facundè? Quis ætate quoq; protracta, & longâ rerum experientiâ, parem se tantæ moli audentiùs profitebitur? nulla & nullius ingenij tanta vis, tanta vbertas, tantaq; copia, quæ VESTRI generis claritatem, claramq; vetustatem perstringere, ac delibare, ne dicam verbis enarrare ad laudem, exornare ad Maiestatem valeat; quin immò immensum ille mare ingreditur, & in vastam altitudinem, ac velut in profundum inuehitur, quicunq; ingentibus factis, gloriæq; celebritate subnixam vtramq; DOMVM hanc, ore vel calamo extollere contendit, studetue celebrare; congesta per ætates plurimas ornamenta, tam grandia sunt, vt vel animosum Oratorem obruant, ac opprimant. Domus SAPIEHANA, magnis semper ausibus solicitabat immortalitatem, & ad normam Illiacæ machinæ diuina Palladis arte fabricatæ, alios atq; alios expediebat, qui culmen obtinerent. Fatorum illa violentiam, an necessitatem horruit nunquam: abeuntibus his, nullis verò intercidentibus, ita gloriosa prout auspicata serie, succedebant illi, accepto à præcedentibus stimulo ac impetu, quo indefessi vrgerent virtutem, honoresq; honoribus accumularent, fasces fascibus fortunato nexu adnecterent, ne auita virtus recenti sociata, nouis titulis velut nouis præmijs, in claris nepotibus destitueretur. SVNIGALVS, Trocensis Castellanus, æquè trabeâ atq; galeâ spectatus, familiam agmenq; ducit,

dixe-

dixero veriùs continuat, tot ſe cœtibus SAPIEHANIS feſtinato paſſu, ad hæreditarium ſibi virtutis ſplendorem præcurrentibus, quibus paria luſtra debentur, cum Vitenibus, Gediminis atq; Olgerdis, Maximis Magni Ducatûs Lithuaniæ Luminaribus, nunc quoq; optatiſsimè ad vota vtriuſq; Gentis coruſcantibus, in SERENISSIMO MICHAELE, POLONIARVM REGE INVICTISSIMO, Sanguinis ſui portione auſpicatiſsima. Compertum namq; eſt SAPIEHANÆ dignitatem Proſapiæ, vnâ cum naſcentibus Lithuaniæ Principibus natam, cuius magnitudinem ad vſq; initia ſequi, & velut Nili caput ſcrutari, tam operoſum crediderim, quàm illis ſæculis rudibus literarum, promptum magis glorioſa patrare, quàm gloriam datâ operâ annalibus inferere, vt vel noſcitarentur poſteris, vel commemoratione grata recolerentur: cum pro tunc optimus & laudatiſsimus quiſq;, optima laudandaq; facere, non ſcribere, militari ſtylo, non literario, faſtos & famam implere, ſua eximia facinora, ab alijs vel ipſis etiam hoſtibus fide bona celebrari, non ipſe aliorum, poſteritati narrare, tradereq; maluerit. Alter eſto BOGDANVS SAPIEHA, Palatinus Smolenſci, affinitatem Principum Ruſsiæ, connubio vſurpans, cælitus Reipub: conceſſus Vir, publicis quibuſue cladibus, priuato diſpendio iens obuiam, quæ toties repreſſæ, miras per artes oriebantur, ſucceſſu tamen carebant: nam ſequentium pari laude & animo SAPIEHARVM, ipſa in herba ſuffocabantur. Loquuntur campi, Vrbesq; Moſchouiticæ, hæ aut ruderibus obrutæ, aut ad deditionem adactæ, illi cumulis corporum armorumq; operti, fortitudinem inuictam, magnanimitatem vt ſecuturæ ætati admirandam, ita hoſtibus formidandam IOANNIS, Vſuiatenſis Præfecti, CHRISTOPHORI, M. D. Lith: Pocillatoris, ANDREÆ, THOMÆQ;, Palatinorum Nouogrodenſium, Heroum Marti, Bellonæq; habituatorum, qui malebant ſemper habere victoriam, quam exſpectare, cum illud bellicoſi, hoc inertis animi opus eſt: eligebant iacturam ampliſſimarũm poſſeſsionum, in præmium mercedemq; virtutis militaris diſtributarum, quàm fortunarum Reipublicæ, nominiſq; proprij, præſtantiſsimæ apud generoſas mentes hæreditatis: ſubire, pati, ac indecenter tolerare: quum non vulgaris pectoris ſit, infra bona animi, fortunæ locare, & toto conatu, ad egregia, quæ magno tantùm ſudore obtingunt eluctari; ſilentio & inigrata obliuione, non obruunt munificas è proprio largitiones LEONIS, Supremi Ducis Exercituum Lith: ac Palatini Vilnenſis, DEODATI, ALEXANDRI, virtute comparis Macedoni, Diuûm aræ, puluinaria & Flamines. Habet porrò munificentiſsima SAPIEHARVM Domûs, Cælites debitores, profuſis in eos tot magnificæ munificentiæ riuis, quot Sacratas DEO, Diuiſq; ædes, ſumptu ingenti, arte non minùs probata, quàm quæſita, opere pretioſo, ad inuidiam planè edacis rerum temporis exſtruxit ſplendidè. Hoc demum eſt SAPIEHARVM, cælum in ſuam vertere ſubſtantiam, rara

felicitate vltra orbem sese porrigendi, terrâ per amplam nominis gloriam occupatâ. Quæ demùm reticebit ætas, conspicuos prudentiâ Senatores? præstantes robore bellatores? in pace suadâ felices, in bello manu animoq; potentes, domi Alcibiadas, Aristidas, Milciadas, Pompilios; in castris Mutios, Scipiones, Curios, Camillos; PAVLOS, nimirum SAPIEHAS, NICOLAOS, STEPHANOS, FLORIANOS, MICHAELES, LEONES, ipsis nominibus victores gentium, coronatos, floridos, melleos, validos, Palatinos, Cancellarios, Procancellarios, in Moscouiam vt disertissimos, ita strenuos Legatos, quibus non modò pro iusto debitoq; extollendis, verùm leuissimè percensendis dies integri laborarent, quum in æternitatem præclarè gestis, & meditato plurimùm Magnorum Oratorum apparatu, iam inuecti sint. Nullum equidem sæculum tantis luminibus, tenebras obliuionis præsumet offundere; memorabuntur ex fide à Patria, tanquam à Matre Filij; commendabuntur serò imminentibus lustris, per elegantem sublimium ingeniorum conatum. Noscitaberis omni æuo, inclaresces omni posteritati, Illustrissime PAVLE, IOANNES SAPIEHA, Palatine Vilnensis, Supreme Dux Exercituum M. D. Lithu: Fortunatissime Parens, quaternis non minùs optimis, quàm dignissimis Filijs, veluti datis Lechiæ quatuor firmissimis propugnaculis, aduersum quosuis impetus insultusue hostiles, à quatuor mundi climatibus ingruentes: nulla orbis plaga ignorabit fortia facta Tua, quum illa singulis, singuli Natorum omni studio, solicitaq; imitatione transmittent, viues vnus his in omnibus, aut omnes Tui horumq; Antecessores in Te vno, implebis gestorum magnitudine, præliorum numero, crebra hostium strage, effuso barbarorum cruore, annales & historias; quanquam abundè iam Orbem Sarmaticum, ingenti fama Tua impleuisti, Scytharum, Moschorum, Cosacorum, Hungarorum innumera pænè multitudine strenuè profligata, trophæisq; vltra ripas Tyræ, Danubij ac Mæotidis, vltra Balticum fretum, Carpathios vertices nubibus illatos, & cælo minantes, erectis gloriosè; rectè nihilominus impleturus adhuc diceris, cum habeas eos, qui laudes Tuas nunquam otiosas, nam operosæ virtuti infixas aucturi sunt. Coronabuntur ampliùs, & ampliùs inter mortales immortalia facinora Tua, virtutesq; Heroicæ, in Illustrissimo NEOSPONSO, vt potè in accurata animi Tui excelsi Idea: spectabis lætans desuper, sudorum Tuorum in negotijs publicis largè profusorum, vberes in Nato illustrissimo fructus; dedisti etenim Magne Heros, præsenti sæculo, veram Tuæ Herculeæ formæ imaginem, in qua luculenter miramur, spectamus, celebramusue prudentiam virilem, iudicium solidum, liberalitatem verè SAPIEHANAM, Pietatem in DEVM & Patriam, maiorum non dissimilem, nec disparem fortitudinem, etiam ignotis obuiam comitatem, dulce alloquium, solers animorum illicium; discimus ex Te: à generosa Aquila, imbellem non progenerari

colum-

columbam, sed à fortibus & bonis, fortes bonosq; creari. Intelligimus quantum Tibi pro tam eleganti imagine Tui, quantum Illustrissimo NEO-SPONSO ex asse Paterni genij hæredi, pro continua summæ virtutis Tuæ imitatione debeamus. Non aberrabit cara SAPIEHANI Sanguinis Propago, à meta honoris & perennaturæ gloriæ, quam sibi diu Gentilitia destinauit SAGITTA, Phœbi iaculis tantò præstantior, quantò felicior, non vnico tumido monstro interempto, sed millenis barbaricis pectoribus transfixis, vt latentis domicilium perfidiæ, noctu diuq; patenti Herebo, seueriùs expiandæ pateret. Hi sunt SAPIEHANÆ indolis colores venustissimi! Hæc Illustrissimi Sanguinis, per Maiestates Principum, Regumq; Purpuras, auspicante Hymenæo diffusi, decora! quæ omnium animis altiùs impressa, etiam posterorum linguas in laudem soluent, & mentes in exemplum component, quæue associato sibi per coniugales ignes, vetustissimo SRZENIAVA LVBOMIRSCIO, perennitatem habebunt, labentis non reformidando temporis Syrtes, & Symplegadas, pericula leuibus grauibusq; curis communia. Cur verò SAPIEHANIS decoribus, non ad speciem perennibus, accessio perennitatis non spondenda ab Amne LVBOMIRSCIO, auspicijs adhuc Parentis Polonorum Lechi, in continentem Sarmatiæ ex llyricis fontibus decurrente? nunquam tamen per ignauiam, suis in littoribus desidente, adeò vt æternitatis æmulum, an Symbolum? mireris an prædices? quum nihil mortale, nihil leue, nihil euanidum, nihil in augmentum tenuis auræ abiturum defert. Caput exundantis feliciter aquæ, scrutaris curiosus? cum nascente Lechia annos censet, & beatas fert ætates; famam spectas? perennis est; magnitudinem? mensurari congruè nequit: Commoda? hæc vt nulla capacitate exhauriri, ita nullo artificio numerari possunt; Religionem? Græcis fluminibus Vestalium comas sibi deuotas absumentibus religiosior. Fortitudinem? aquâ Martiâ Quiritum validior; habes omnia quæ in vno celebres, habet vnus SRZENIAVA, quod cunctis seu laudandum, seu imitandum largiatur. Ita magnæ indoli, non vnica virtus familiaris est, vniuersis turmatim in possessionem accurrentibus; cum obseruare ad bonum interualla, desidibus ac primo in limine probitatis improbè nutantibus vitium an officium proprium existimetur. Asia quid Tigris velocitatem, an velox robur ostentas? in LVBOMIRSCIO SRZENIAVA, vtrumq; mirare. Quoties ille celerrima fortitudine in campos Roxolanos excurrens, Tauricanis monstris occurrit, in eaq; incurrens victor stitit: quoties perfidam immanitatem Moschorum demersit, vt ad Laurus tuta Lechia enauigâsset: quoties rebelles Cosacorum myoparones absorpsit, vt oneraria Poloniæ læta, tranquillum littus salutâsset: & quod prodigij vim habet, totam pæne Asiam & Africam, totum Orientem ad Chotimum, in vltimum Poloni nominis occasum, ab heluone regnorum Osmano deductum, validis vorticibus suis obruit, oppressit, retro-

retroq; cedere, ne Sarmatia caderet, adegit; tanto Orbis vniuersi stupore, quanta Christiani nominis Poloniq; iam iam illo fato exstinguendi, felicitate, quum lugubres vicinorum voces, actum fuisse de rebus Lechicis ingeminarent, cupressum eis ominando; ast triumphales palmæ, subitò in ripis SRZENIAVÆ erumpentes, irrita vaticinia elusêre. Rubuit ille, ô quàm crebro! effuso hostili cruore, vt spiritum & vitam Patriæ affunderet, Palloriq; & Pauori, Quiritum more nunquam litaret: nisi candidum malim dicere, quod intemeratam Sceptris Sarmaticis fidem, sincerum purumue à limo perfidiæ studium præstaret, ac hodie non in speciem præstet: haud scio, an aliquando in eo fidam stationem, malaciam, & halcyonia Argo Polona, non reperit, cum is tempestuosum Æolum, cum turbine vorticoso à lymphis suis proscripserit, ne sibi contagiosum aliquod dedecus pertinacius inhæreret: inest enim generosis naturis ea laudanda cupido, vt tam nulla velint notari labe, quàm omnes gloriæ poscant characteres. Non ego facilis crederem Gangem, Hermum, Tagum auri ramenta voluere trahereue, nisi eò ditior cunctis, quò munificentior singulis, FLVVIVS LVBOMIRSCIVS, fidem commentis veterum conciliaret, & liberalitate in omnes, littora sua obsidentes, à suspicione veritatis liberaret, hos felici de se præda onustos dimittens, illorum vehementiorem fortunæ sitim, diffusis beneficiorum alueis, de prompto exstinguens. Sanè congruens est Aquis verè Polonis, nam Polo dignis, non personata munificentia, quum Nilo arentem Ægyptum potante, fecundanteq; simul vberiores, omni pretio inæstimabilis fortunæ abundent; debetur illis perennatura salus, dum fontibus Arcadiæ præstantiùs antidotum, robore & consilio, viribus & armis, in perauguſta LVBOMIRSCIORVM officina fabricatis, languenti sæpiùs Reipublicæ, felici euentu propinant: inhiantibus verò publicæ integritati Anthæis ac Polyphemis, toxicum non irrito successu porrigunt, tot triumphalibus insulis in altum erectis, quot tumuli exstinctorum, à se hostium cadauera premunt, ne liberrima Sarmatia, iugo ferali opprimatur. Perdecorum est, & Illustrissimam SAPIEHANAM Domum, in quam nihil non splendidam intromittitur, de tam prædicando FLVMINE NYMPHAM, non fucatis virtutum coloribus venustam, dote probitatis auitæ auctam, compositione morum penè cælestium aspectabilem, formâ pudicitiæ immixtâ perquamgratam, inter intima coniugalis amicitiæ adscifcere; vt geminatus fulgor, eò abundantiùs duraturam posteritatem, quam hisce Familijs gloria virtutis comes, ex longo tempore despondit, valeat collustrare; priuatæ namq; fortis est nasci, denasci, oriri, aboriri; ast magnæ animæ splendentibus fastigijs destinatæ, cum corpore non exstinguuntur, quin immò acceptam à Maioribus lucem fouent, curisq; publicis æternùm continuant. O Te felicem tanto bono Sarmatia! quantum ad Tuos Ciues, aras & focos è præsenti Hy-

menæo

menæo deuoluitur, vltraq; deuoluetur tractu tam perpetuò, quàm optato. Hinc Tibi, ita dubio procul, vt assentatione procul, contra fatorum atrocitatem, strenui prodibunt Achilles, fortes exorientur Aiaces, inuicti Scipiadæ, prudentissimi in administratione publicæ felicitatis Pericles, munificentissimi in erogandis beneficijs Traiani, Nummæ in sacris promouendis protegendisue religiosissimi. Hinc victrices Lauri, triumphales Palmæ, paciferæ demùm Oliuæ enascentur. Hinc sincera beatitudo acerbitatibus non confusa, insidijs non circumuenta, multiplici alueo dimanans, ciuium animos largiùs reficiet, diutiùs recreabit. Talia de VOBIS ILLVSTRISSIMI NEO-SPONSI, Augustis Maioribus editi, sperare licet polliceriue! haud fallentur vota infallibilibus confirmata indicijs: prominet in vere, quid ex aruorum cultura legendum sit in autumno; herba fertilis, non incommodè ominatur frugum copiam. Ita enim nati estis, vt non modica quæuis Fortuna VESTRA, maximis splendoribus Familiarum immixta, ad Rempublicam pertineat, è cuius voto, non minùs prospera, quàm longæua numerate lustra, innumeram virtutum, laudumq; de Vobis materiem, eruditis mentibus daturi.

ELOGIVM I.

AQVILA SARMATICA,

Haud Tu pharetratis Gelonibus meta es,
Tam multiplicem Sagittariorum impetum,
Vel vna SAPIEHANA SAGITTA,
Retundente:
Eò maiori felicitate,
Quò firmiori geminatæ Crucis subsidio,
Cælestibus nimirum armis,
Subnixa sit.
Bellat securiùs, triumphat certiùs,
Cui in suppetias cælum accurrit.
Habes quod opponas telis Scytharum,
Quibus Darios tantùm terrere non SAPIEHAS,
Solenne illis est,
Non decidere ausim magis fatales Troiæ, Sagittas Philoctetæ,
Quàm hostibus Lechiæ, SAPIEHANAM,
Feras Threicias peraptam ferire,

E T
Tauricanam Asiaticamue ferocitatem domare,
V E L
Orci Furijs consignare.
Hac
Multoties prostratum Moscuæ Draconem,
Illis dubium sit,
Q V I B V S,
Tam ignotus Mars Polonus, quàm notissimum Poëtarum commentum,
De Pythio monstro, telo Apollinis transfixo.
Formidatus fuerit Acheronti Sagitta suâ Alcides,
Auarum pectus atri Ditis perforans,
Ipsam fortè auri famem ibidem interempturus:
Ne hæc pariter Codros, atq; Cræsos enecet;
C V M
Tam huic deest, quod habet, quàm illi quod non habet.
Nobis S A P I E H A N V M Telum, tantò gratiùs,
Quantò salubrius Patriæ, nocentius hostibus,
A Gratijs gestatur,
Ita Liberalitati fauens, vt auaritiæ hostis.
Vnde
Non minùs fortitudinis quàm munificentiæ,
Symbolum præfert,
Nec magis ferro præstans, quàm auro diues,
Illo hostibus metuendum, hoc ciuibus amandum,
Vtroq; Ecclesiæ, Reipublicæ, percommodum,
Benefici Planetæ Solis,
Præter eminentiam, fulgorem, agilitatem,
In hoc maximè analogiam seruat,
Q V Ò D
Omnium felicitatis ferax sit,
Neminem videndo, quem non faciat beatum;
Suam censet fortunam,
Extra inuidorum censuram,
Pariter alios atq; ipsum est spectare fortunatos.
Illud in reliquis scelestum reputans,
Quod sui similes oderint,
Hi tamen dum alienæ sorti inuident, vitia propria demonstrant;
Hoc verò
Diuinum est, magnarum mentium est,
Videre necessitatem & tollere;
Vinci nec armis, nec munificentiâ,
Quâ vel solâ benè ad Diuinitatem, fit accessus,

Facta

Facta per eam honoris laudis, vndique accesſione;
Nimirum,
Mortales non citiùs aut meliùs Deorum loco habentur, quàm cum proſunt.
Non ergò ipſis tantùm Gotthis Sagitta munus nobiliſsimum ſit:
Nam Polonis etiam,
SAPIEHANA,
Donum cæleſte habetur.

ELOGIVM II.

Magni Ducatus Lithuaniæ gloriam non modicam,
Ne quæras alibi:
Compendioſam eius Epitomen,
In SAPIEHANIS Armis habe, lege;
Extant characteres, quos dextera Mauortis pepigit.
Non delet vetuſtas, quod exarauit æternitati bellica virtus:
Immortales laudes, rectè admodùm Martiali ferro imprimuntur,
Seu libris, ſeu liberis animis;
Neſcit enim tumulum magnanimitas,
Vel eò ipſo,
QVÒD
A tumulo vitam publicam reuocat.
Hercynij ſaltus tot debent temporibus SAPIEHANIS Ciuicas,
Quot tranquilla numeramus tempora, ſeruatos lætamur Ciues:
Nulla ibi arbor non Laurus, nullum barbaricum pectus non ſcopus,
IACVLO SAPIEHANO,
QVOD
Æquiùs multò quàm Antonij Imperatoris Sagittæ,
Lauro coronandum:
Nam illæ tantùm in nummis, nec tegentibus, nec vulnerantibus,
viſebantur,
Huic Campus Martius hodie quoq; theatrum eſt.
Ad Bellonæ auſus, natæ Familiæ,
Ecquod conuenientius Inſigne quàm Gradiui?
Alatum illud præferendum eſt ijs animis,
Qui ſtertere neſcij, ad triumphos volare periti,
Bellonam non Cuninam, vel in cunis adhuc colere aſſueti ſunt.
Grande enim virtuti tædium exſpectare annos,
Quos præuenit ſæpiùs quàm adit.

REGIAM ALITEM SARMATICAM IOVIS SVPREMI ARMIGERAM,
ALATA SAPIEHANA decent præsidia,
QVIBVS
Tutò innixa,
Nisu tam facili, quàm felici ad trophæa euolaret:
Mehercule & Hercules promptiùs auxiliante Iolao profligat Hydram,
Ioui itidem certior de Gigantibus victoria, cum suppetijs Titanum:
Ad Laurum quippè metendam peridoneum instrumentum, virtus vnita.
Auxiliaris SERENISSIMARVM MAIESTATVM, SAPIEHANA
SAGITTA,
Sæpius Aquilonaribus & Orientalibus Harpyis,
Ferri sui obiecit aciem,
Nec obijcere rata satis,
Nisi & pernici volatu suo, inuolantes in nostram perniciem,
Sisteret ac interimeret Victrix,
Vitam Patriæ, Coronato Capiti gloriam, pro præda adferens,
Fortunamq; ad Auctorem referens,
Nunquam præclarè gestis in suam famam exultat:
Ita fortitudine in bellando, fide in Regum dignitate tuenda,
Modestia in prædicando,
Extra inuidiam, nec extra gloriam persistit.
Fas est bellicas, & harum filias pacatas laudes speculari,
IN
ILLVSTRISSIMO PAVLO IOANNE SAPIEHA, PALATINO VILNENSI, SVPREMO DVCE EXERCITVVM M. D. LITH:
IS
Compendium Maiorum factus,
Eorum illustria facta proprijs ampliauit,
Ne non suis tantùm luminibus splendidus foret.
A literis ad castra gradum faciens,
Vbiq; gloriosum culmen attigit,
Et quoniam Heroicæ virtuti, de vna gente mereri non sufficiebat,
Seu vt PAVLVS esset Bellator gentium,
IDEÒ,
In castris Regni, & M. D. Lith: meruit stipendia, nec sumpsit;
Immò,
Neruo belli è suo patrimonio, milites toties roborauit,
Ne vel semel in communi omnium Patria,
Viribus eneruatis:
Suecus, Moschus, Gelonus, Pannonius,
Ambitiosam prædam colligeret;
Supremus Dux belli ante cæpit esse, quàm fieret,

Nihil vnquam infimum secutus, primus ad victoriam, nec postremus
ad pugnam:

Præposterè namq; bellatur,
Cum Dux ab agmine ducitur, non agmen à Duce:

Ita Ducem se esse meminerat, vt nec militaris officij obliuisceretur.
Ita militem, vt neq; munus Ducis in periculis exueret,

GNARVS,

Alacritate Imperatoris, Exercitui tam decrescere metum & discrimina,
quàm crescere animum & victoriam.

Cum paucis quandoq; suorum, magnitudinem aduersam aggressus,
Fortitudine præueniebat infortunium,

Quod si timeatur, accelerat;

HINC,

Plures metu, quàm ipso periculo intercidunt.

Vt Mars Sarmaticus esset, nunquam non galeâ presſit caput,
Non tamen affabile, mansuetumq; oppresſit ingenium;
Ita cunctis charus, vt singulis metuendus,
Ita singulis metuendus, vt cunctis venerandus viueret,
Suis laboribus absumebat vel accendebat alienos,
Excubiarum Argus vigilantiſsimus,
Algoris, ardoris, famis tolerantiſsimus,
Mindyridibus Sybariticis otio diffluentibus confusionem,
M. Curijs inopia castrensi presſis solatium fecit.
Nullius honoris auidus, omnium capax,
Meruisse contentus, habere abnuebat;
Nisi plùs merita & necesſitas publica, valuissent.
Cumq; viuere desiêrit, vincere non cessauit,

IN

Tam bellicosiſsima, quàm Patriæ amantiſtima Prole,
Hodie quoq; de hostibus Reipublicæ triumphans.
Et hæc demùm,

Magna Parentum felicitas, maius solatium, maxima gloria,
Dare non degeneres Orbi Filios.

Metire Lechia grandem Fortunam Tuam ex SAPIEHANIS armis,
Quorum meta, salus Tua, & virtus cum sua pedisequa,
Fama immortali.

ELOGIVM III.

Achæmenij fortitudinem Tigris si forte poscimus,
Polonum SRZENIAVAM petamus;
Fortibus ille Campos Lechicos alluit vndis;
Vnde
Et stupendam mœnium Semiramidis firmitudinem,
Nec in stupore, nec in votis fas sit habere;
Stabilior multò Lechia Babylone, quamuis fluido LVBOMIRSCIORVM ELEMENTO circumfundatur.
IN QVO,
Nauis Polona nauigando, victrix coronata,
Littus triumphale, nec semel non legit,
Inter malaciam, pacem & panem portans,
Pretiosissimos Diadematum vniones,
Decumanos fluctus derisit.
SRZENIAWA,
E Phrygia quamuis non effluat,
Impunè tamen à prædonibus regnorum non hauritur,
Quin eos vitâ spoliet,
Sueci, Daci, Moschi, Thraces, Pannones, Russiq; rebelles,
Vbi eum hauserunt, exstincti sunt.

Porrò
Nulla hîc læta natare possunt monstra,
Quin illicò ad Letum adnatent.
Hostis qui bibit inde, vel furit vel perit.
AT
Illud inter maxima FLVVII huius, encomia computandum,
QVÒD
Grandem Asiaticam illuuiem, an veriùs colluuiem,
Totius planè Orbis speciem ferentem,
Ad integræ Lechiæ diluuium exundantem,
Ad Chotimum,
Vno hiatu an impetu? absorpsit an demersit?
Tantâ sui gloriâ, quanto ausu.
Ita Otthomanicus furor in SRZENIAVAM incidens,
intercidit:
Atq; lugubribus suæ Lunæ cornibus,
Lunatis SRZENIAVÆ littoribus,
Non aliter, quàm Arcui triumphali,
Istud impressit;

Æquè

Æquè infaustum, ac ignominiosum init certamen,
Quicunq; contra Polonum decertat ELEMENTVM.
Ita Sacer FLVVIVS, nam cælo defluens,
Profanas opprimit flammas,
Aut sociat Acherontinis,
Scelestam Byzantarum cupidinem expiaturus,
Victimam non minùs cupido Plutone dignam,
Quàm libero Ioue cæloq; indignam,
Et Stygijs abluendam torrentibus,
Quæ infernalem contraxerat labem.
Adeò spes nimias DEVS plerumq; fœdos ducit ad exitus,
Congruensq; semper Tragicam esse, improborum ambitionem immoderatam;
Osmanus libidine imperandi planè Macedoni par,
Arte ad imperia nandi omninò impar;
Hoc enim Euphratem tranante,
Ille SRZENIAVAM intantum exhorruit,
Vt neq; in continente Chotimensi,
Impauidum se suosq; continere potuerit,
Quin haustâ, SRZENIAVIIS aquis Threicia multitudine,
Naufragus ipsemet Byzantium remeare cogeretur;
Alias extra naufragium futurus,
Si Asiaticis & Africanis potus, ad tumorem vsq; lymphis,
POLONAS ad timorem non sitisset.
Grande periculum multa iniquè possidentibus, pluribus inhiare,
Modo non modò ab animo, sed ab auaritia proscripto:
Cum nullum vitium pœnis excipiatur.
Quanquam auaris perpetua auaritia, maximum tormentum,
Qui cum Midæ desinunt esse, fiunt Tantali.

LVBOMIRSCIVS AMNIS,
Hellesponto non minùs laudis, quàm roboris voluit,
Hercynias syluas validè sternit,
Fretum Balticum strenuè miscet,
Carpathios montes feliciter præterlabitur,
Hunnos, Pannonesue horrendè inundat,
Se verò supra hostium ruinas euehit extollitq;,
Non magis fortunatus quàm gloriosus.
Nulliùs Xerxis subiuit vnquam vincula;
Immò,
Infestas vicit pluries mentes:
 Vt

Vt constaret Vniuerso, liberrimum sibi deberi solum,
Scamandri victor Achilles, victus hic absorberetur,
Vel ipsa expeditione Gruneualdensi, fidem faciente.
Adeò validissimus hic FLVVIVS,
Aduersa quæquæ etiam valida demolitur!
Illius motu impauido, Libertas vernacula, quiete fruitur,
Illius Martiali æstu, Zephyros captamus,
Illo turbidas domante procellas, serenitatem aucupamur;
Neptunum, Æolum, Tritonem, cæteraq; inuida,
Nostro sudo Numina;
Ludibrium æstimantes.
Contra quos Zaporouios obices, Danubij, Borysthenis, Hypanis
alluuiem,
Achilleus eum non egit impetus?
Euxini fluctus frustra intumescunt,
LVBOMIRSCIO ELEMENTO sæpius depressi,
Sarmatico Nomini crebrò vectigales.
O Vitales Latices!
E quibus vitam & spiritum haurimus,
Non minori affluentiâ, quàm fiduciâ.
Ita primordia libertatis Tuæ, LECHO,
Conseruationem, SRZENIAVÆ,
Debes ô POLONIA!
Et quàm pari debito vide!
Cum non maior virtus sit inuenire, quàm inuenta tueri,
Pluribus plerumq; in medio, quàm ad portum occursantibus procellis.

ELOGIVM IV.

FAVETE SVPERI,

Sacro AMNI LVBOMIRSCIO,
Vestram causam agetis,
Illius auspicia promouendo:
In Olympum influit, parui ducens,
Sola depressa alluere:
Coloniam ducit in astra,
Cælo ipsi munificus, cæli incola,
Istro Niloq; pretiosior, quia non regum Persidos,
Sed Cælitum illatus thesauro:

In

In quo præter Pythagoræ consilium,
Libenter sui imagines speculantur,
Videndi terrigenis, videntes Auctorem vniuersi.
Ergò Liberalitas, dum alienæ fortunæ parens est,
Simul sit faber propriæ.
Alterno enim fœdere,
Religionem munificentia, Religio munificentiam,
auget, ornat, & seruat.
Et quoniam LVBOMIRSCIORVM DOMVM,
Beneficentiæ Fontem, indigorum penu,
Indigetes præsciuêre:
Commune idcircò Elementum,
Adeò Beneficis Penatibus,
Symbolum fecêre:
Præ cuius amplitudine,
Symbolicam Nili fecunditatem,
Vltrò ignoramus:
Neq; ad Siculos fontes, exstinctas faces accensuri,
(Veriùs gelidam sortem inflammaturi)
precamur accedere,
SARMATICIS VNDIS beatiores;
Et hæ Diuinæ Caritatis Ignem fouent in se,
Vt congelatam miserorum fortunam refoueant;
Et sub frigido licet Aquilone,
Igneæ, hoc est lacrymas afflictorum exsiccantes;
Habeantur, non modò credantur.
Rectè proinde sibi gratulandum,
QVÒD
Æquè maxima ac perfectissima conferant solatia,
Nullius donarium poscentes, omnium animos acquirunt.
Adeò Supernæ Prouidentiæ, Vicarium AMNEM,
Ea decet virtus,
Vt remedium necessitatum colatur,
Qui omnem suæ felicitatis abundantiam,
Alienis calamitatibus debere se arbitratur;
Dandi eum occasiones fugiunt sæpius,
Animus verò deficit nunquam;
Tenuiores ab humili sorte,
Ad superbam manu tenendam euehit fortunam,
Ipsemet in continentem beatitudinis perpetuæ,
Famæq; perennis continuò influens;
De nullius prosperitate non solicitus,

Omnium commodis nunquam non intentus,
Semper vtilior esse studet, quàm sæpè videri;
Nescias magisne aliorum, an suæ felicitatis memor?
Macedonico spiritu animatum crederes,
Si verè Polonum ignorares:
Qui non quantùm egentibus satis foret,
Ast quantùm se elargiri deceret,
aduertit seriò:
Vt plùs æquo videatur, non tamen sit liberalis,
Prodigum idcircò ne voca;
Collocat enim prudenter, non perdit beneficia,
Heroicum potiùs opus, in Heroico FLVVIO celebra;
Virtus vtiq; cum ad summum venerit, penè Diuina fit, inter mortales.
Non disparem ille celeritatem in currendo,
ad metam honoris,
Promptitudini in largiendo, ad occursum indigentiæ,
amat;
Non magis verò tædiosam, quàm odiosam beneficijs moram,
odit;
Proprium sibi existimans,
Ad bene faciendum properare.
Cum non sit alienum à munificentia, citò dare;
Liberalissimus proinde cum sit,
Obuia cuncta hospitaliter pertrahit,
non abnuens,
Tam galeâ Martis, quàm scuto Mineruæ
hauriri,
Vt supplicia fortunæ, à quibusue auertat supplicibus:
Vel ne fortè ex solis Indiarum fontibus aurum extrahatur.
Scyllas hic & Charybdes, vel subdolas Sirenes,
ne cogita,
Vbi blandæ Charites hæreditant,
Vt scilicet miseros ad ripas admittant;
Et felices dimittant:
Vix beatiorem AMNEM præ hoc crediderim,
Vix & consentaneas ei laudes inuenerim;
Pro dignitate laudari nequit,
Qui plusquam laudanda profert.
Festiuo igitur Epithalamio, an celeusmate? occupanda Statio,
Carbasa foliorum complicanda.
Vili interim vmbratilique stylo,

Splen-

Splendor SAGITTÆ, lucem,
FLVVIVS cum margaritis pretium dabit;
Sacræ verò Tedæ Nuptiales expiabunt, quod tyronis calamus peccauit,
Qui maluit obſequens diſplicere,
Quàm deſidioſus placere,
Et audacem ſuam promptitudinem in ius vocari,
Quàm pauidam inertiam, extra cenſuram abſolui,
Cui quamuis nulla laus ſperanda,
De aliqua tamen venia, minimè deſperandum,
Vel maximè ex eo,
Quòd non egit ſed actus eſt Symbolica INSIGNIVM velocitate:
Siquidem nec SAGITTA, nec SRZENIAVA ſtare ſciunt,
Sita in actione virtutis;
VEL
Quòd ſibi Æmus quàm Parnaſſus communior;
SEV
Quòd perarduum credatur, illuſtria æquè ſcribere, ac agere.
Cæterùm ſtridula incomptaq; penna, luat pœnas,
Thalaſio, Hymenæo,
Cadat victima:
Vt Connubialia hæc Numina, humili munere placata,
SAPIEHANÆ SAGITTÆ, FLVVIOQVE LVBOMIRSCIO,
Coniugali fœdere ſociatis,
Suprema dona cæleſtia, altamq; Fortunam,
De ſuperno Gazophylacio,
Vberiùs largiantur.